

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Carmina in laudem B. Mariae Virginis multorumque sanctorum

Brant, Sebastian

[Basel], [nicht vor 1494]

Ad diuum Juonē aduocatū

[urn:nbn:de:bsz:31-290354](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-290354)

*Quo patre regnum iustis potest et amplius
Strenuusq; dem mi se debere fatentur/
Dura: tuo tuncus sunt de bellata fauore.
Aptq; eas iustas miserece iunc causas.)*



Ad diuum Iuonē aduocatū
pauperum. .S. Brant.

U Erborū exorsum / duce te venerabilis Iuo:
Inq; tuas laudes carmina nostra feram:
Mitis ades doctor: causam defende benignam:
Causidicus proprio sisq; patrocínio.
En tua res agitur: tua quā dum vita superstes
Neglexisti laudem: post tua fata foue.
Nam decet / vt cunctis / pateat mortalibus: illa
Quam bene pro meritis fers modo laureolam.

Huc Brito dulcis ades linguam rogo dirige nostrā
Ad causam q̄ tuā docte magister ades.
Sed tua quid referam studia: & mellita iuuentę
Dogmata: te puerum quę didicisse ferunt!
Gratia nam/ tibi tum lustrans/ demissa superne:
Te facit electum vas/ placidumq̄ deo.
Hac duce/ pontificum/ & legalia noscere iura
Est tibi concessum: largiter atq̄ datum.
Hinc fora pauperibus: fecisti leta neglectis:
Iudicis aurilegas qui timuere manus.
Te iustam quisquis causam fortasse peregit.
Patrono: sensit te duce iusticiam.
Quę res cūq̄ fuit/ iuri/ aut contraria honesto:
Mos tibi semper/ eam nō tetigisse/ fuit.
Ausus erat nemo/ cui forte calumnia cordi:
Seu dolus vllus erat: te vel adire semel.
Te veritus iudex: timuitq̄ tabellio avarus:
Causidici expauit/ te quoq̄ lingua loquax.
Improbulusq̄ cliens/ importunusq̄/ repulsam
Qui semel expertus: non rediturus abit:
Instar erat facies/ tua nam veneranda/ leonis:
Et qui te vidit: iudicat esse virum.
Formidandus erat/ veluti Catho sepe/ theatris:
Sic tua verbosis/ ora seuera foris.
O quotiens nūmos potuisses diuitis amplos
Sumere: sed miseri preualuere preces.
O quotiens spretus diues: sua munera vana
Detestatus erat. rettuleratq̄ domū.

Spreuisti seclī pompamq; / & inania mundi
Gaudia: sed nobis gloria vana placet.
Tu neq; consilio (nostro de more) tulisti /
Nec scriptis / cuiquā preuaricantis opem.
Tu bona pauperibus dispergis: parta labore /
Ingenioq; tuo: pauper & esse cupis.
Lectus erat Codro. minor est tibi diue supellex:
Pro lecto liber est / dura silex q; tibi.
Tu miseros queris / per compita longa / viasq;
Sponte tua: atq; vltro his copia larga tui est.
Scilicet Impendas his vt benefacta / misellis:
Officiūq; decens / & miserantis opem.
Nos bona pauperibus rapimus: spolia ampla pupilli
Co nuectare iuuat: phasq; nephasq; parum.
Querimus & lites: tu pacis semper amator.
Iurgia ridemus: tu malefacta doles.
Nobis prædā sapit. pulset nostra hostia nemo:
Pendula ni sibi sit / vel bene curua manus.
Astruimus q; dolos: causasq; extendimus: at tu
Imponis finem litibus / atq; modum.
Hinc tibi celorum moderator maximus / & rex
Contulit: vt tibi sit nunc sine lite quies.
O decus / o virtus / o gloria magna Britannis
Iuo pater: fac te concomitare queam.
Aduocatorum tu gloria prima / vel vna:
Solutus & e nostra / sydera gente tenes.